

Disputatio

DE IUSTI-

CIA EX LIBRO

QVINTO ETHICORVM } ARI-

stotelis ad Nicomachum,

proposita

A

VICTORINO STRI-

GELIO, IN ACADEMIA LI-

PSICA VIII. CALEND. MAII,

Anno CHRISTI


M. D. LXIII.

IN OFFICINA VOEGE-

LIANA.



02. 6. 1971



PROPOSITIO PRIMA

DE IVSTICIA.

OMnium, quæ in hominum doctorum disputatione versantur, ut ait Cicero in primo de legibus, nihil est profecto præstabilius, quam plane intelligi nos ad iusticiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse ius.

II.

Ex hoc dicto Ciceronis perspicuum est, quanta gratia debeat Aristoteli, qui in quinto libro Ethicorum eruditas definitiones & diuisiones iusticiæ & iuris tradidit, easq; partim ex consuetudine sermonis, partim ex ipsis naturæ fontibus hausit.

III.

Alia, inquit, est iusticia vniuersalis, alia particularis. Sunt autem duæ species iusticiæ particularis, distributiua & commutatiua, nec sunt plures.

IIII.

Ut autem triplex est ordo hominis, primus erga Deum, de quo Cicero grauissime dixit: Prima est homini cum Deo societas. Secundus erga nos ipsos, in quo danda est opera, ut motus animi rationi pareant, ne velut incustoditi & passim vagantes liberius exultent. Tertius erga alios homines: Ita tres definitiones iusticiæ vniuersalis

tradi solent, vna à vera Dei Ecclesia, Altera à Platone, Tertia ab Aristotele.

K

Iusticia vniuersalis secundum Ecclesie doctrinam est integra conformitas motuum cordis, & omnium virium cum Deo seu cum lege Dei. Idem est enim dicere, congruere cum Deo, & congruere cum lege Dei, quia Deus talis est, sicut se in lege descripsit.

Axioma
Ethologicum

X

Plato iusticiam vniuersalem sic definit, scilicet obedientia omnium virium erga rectum iudicium rationis, id est, conseruatio ordinis diuinitus instituti.

Eandem definit Aristoteles esse obedientiam erga omnes leges honestas ad nos pertinentes, vt Aristides nominatur iustus, quia non violat vllam legem honeste societatis, in qua versatur.

VIII

Descriptio iusticie à Clemente Alexandrino tradita, dicitur vniuersalis, quia Deus se nobis communicat, & est conseruatio ordinate equalitatis, complectitur vniuersalem & particularem iusticiam. Ac prior quidem pars loquitur de prima tabula, & de actionibus diuinis in reuerentis. Altera vero de actionibus ordinatis erga proximum.

Et si

Et si autem multæ sunt definitiones iusticiæ particularis apud Platonem in primo & secundo libro. Tamen definitio Simonidis, quam Iurisperiti amplexi sunt, admodum concinna est, & recte intellecta conuenit utriq; speciei, commutatiuæ & distributiuæ: Iusticia est constans & perpetua voluntas, suum cuiq; tribuens.

X.

Altera diuisio iusticiæ his verbis ab Aristotele recitatur: Iusticia particularis, aut est commutatiua, aut distributiua. Commutatiua est quæ seruat equalitatem Arithmetica in contractibus & pœnis sine discrimine personarum. Distributiua est, quæ recte ordinat personas seruata Geometrica equalitate.

10. 29100.

XI.

Huius diuisionis eruditissima ratio est: Iusticia particularis gubernat omnes actiones in societate. Quicquid autem agimus cum alijs, est aut rerum communicatio, aut personarum ordinatio. Manifestum est igitur duas esse species iusticiæ particularis, quarum altera personas ordinat, altera regit rerum communicationes, & constituit equalitatem Arithmetica.

XII.

si quis autem requirit, vnde sumserit Aristoteles hanc pulcherrimam collationem specierum iusticiæ ad Arithmetica & Geometrica pro-

portionem, nihil est quod expedire tam facile pos-
simus. Nam Plato, cuius discipulus ~~vincidam~~
fuit Aristoteles, in sexto de legibus, cum summa
venustate & gravitate disputat, equalitatem
Arithmetica non solum in contractibus, sed
etiam in omni compensatione rerum efficiendam
esse, Geometricam vero, quæ & Tyrannidem &
popularem licentiam prohibet, salutarem esse ci-
uitatibus.

XIII

Arithmetica Analogia est, in qua positis tri-
bus aut pluribus numeris, omnes distant equa-
libus differentiis. Hanc recte accommodat Ari-
stoteles ad rerum communicationem, quæ paga-
tur in infinitum. Non posset autem in infinitum
procedere, nisi servaretur Arithmetica equali-
tas, quia vna pars generis humani exhauriretur
& periret.

XIII

Geometrica Analogia est, cum tribus aut plu-
ribus terminis dispositis, non numerorum diffe-
rentia consideratur, sed servatur equalitas pro-
portionum. Diuiditur autem Geometrica in con-
tinuam & discretam. Continua est, quæ in tribus
terminis consistit, Discreta nominatur, in qua
termini quatuor, sex aut plures inter se compa-
rantur.

XV.

Hoc discrimen ideo recitatur, vt facilius de-
clarari

clarari possit, quæ species Geometricæ proportionis ad iusticiam distributiivam congruat. Nam in distributiua iusticia non habet locum proportio continua. Sunt enim duo termini rerum; & duo personarum constituendi; qui non pariunt continuam proportionem.

XV I.

Et quoniã in distributiua iusticia vtendũ est permutata proportione, ex Euclide assumatur huius argumentationis descriptio. Est ergo $\epsilon\nu\alpha\lambda\lambda\acute{\alpha}\xi\lambda\acute{o}\nu\theta\epsilon$, id est, permutata proportio seu ratio vicissitudinis, sumtio antecedentis comparatæ ad antecedentem, & consequentis ad consequentem; vt sic se habent 8. ad 4. ita se habent 2. ad 1. Ergo $\epsilon\nu\alpha\lambda\lambda\acute{\alpha}\xi$ Sicut se habent 8. ad 2. Ita 4. ad 1.

XV I I.

Nunc si placeat hanc formam argumentandi ad iusticiam distributiivam accommodemus. Sicut in Geometrica proportione discreta rationes inter se comparantur: Ita in distributiua fit collatio personarum & officiorum, & queruntur persone aptæ singidis generibus, vt sicut se habent scientia rei militaris & eloquentia, sic se habent Cæsar & Cicero. Ergo sicut Cæsari committendus est exercitus; ita Ciceroni mandanda est rogata administratio. Hæc forma argumentandi vocatur argumentum ex permutata proportione.

XVIII.

Cum autem noticiæ sint gubernatrices actionum, Aristoteles optimo ordine adiungit partitionibus iusticiæ sapientissimam distinctionem legum naturæ & iuris positivi, quia iusticia in hominibus est velle & imperare membris conformia legi.

XIX.

Ac leges quidem naturæ sunt noticiæ principiorum practitorum, & conclusionum ex his extructarum de regendis moribus, congruentes cum æterna & immota norma mentis diuinæ, insitæ nobis diuinitus, vt sint testimonia, quod fit Deus, & qualis sit, & regant nos, vt congruat obedientia nostra cum voluntate Dei.

XX.

Ius vero posituum est decretum legitimæ potestatis, non pugnans cum iure naturæ, sed addens ad ius naturæ circumstantiam aliquam probabili ratione, non necessario definitam.

XXI.

Sed inter ius naturæ, & ius posituum hoc interest, quod cum ius naturæ loquatur de genere, & habeat suas demonstrationes, & ubique sit idem, & neq; tolli neq; abrogari possit, ius posituum loquitur de specie, & ratum est partim propter autoritatem legislatoris, partim propter probabilem rationem, nec ubiq; idem est, & deoq; mutari & solet & potest.

Discer-

XXII.

Discernatur etiam summum ius ab equitate. Et si enim genere congruunt, quia utroque probantur recta & damnantur contraria, tamen gradibus differunt propter circumstantias.

XXIII.

Est igitur summum ius cum leges severe sine mitigatione retinentur, etiam cum propter circumstantiam aliquam probabilis ratio erat mitigationis.

XXIV.

Mitigationis vero seu equitas est probabilis mitigatio summi iuris in aliqua circumstantia, praesertim in casu, de quo non principaliter lex loquitur.

XXV.

Et quoniam in iudiciis aut publica est, aut privata. Publicam illam, quae in iudiciis versatur Magistratibus & Iurisconsultis relinquamus, qui sapientissime disputant, utrum iudicandum sit ex scripto iure, an equitas extra scriptum quaerenda sit, privatam vero, cuius tres sunt gradus, nisi exercebimus, nihil dilectioni erga proximum relinqueamus.

XXVI.

Primo gradus est eleganter ferre communes hominum infirmitates, quae non puniuntur legibus. De hoc gradu Plinius dixit: Qui vicia odit, homines odit. Nemo enim sine vicijs nascitur

Optimus ille est, qui minimis vrgetur, vt ait
Horatius.

X X V I I.

Secundus gradus est, ambigua facta non calumniose in deteriore partem flectere, non leuia errata odiose amplificare, nec arcana traducere, sed tegere & sanare.

X X V I I I.

Tertius gradus est, ante contumaciam candidè & amanter monere errantem & peccantem, & hoc officio reuocare eum in viam. Hi tres gradus in vita latissime patent, & nunquam dilectioni desunt occasiones in his declarandæ lenitatis & equitatis.

X X I X.

Sit autem doctrina de equitate eo nobis gratior, quia Euangelium est dulcissima & benignissima lex diuina. Nam Deus non solum dispensat de ordine naturæ, sed etiam de sua lege, cuius ordo firmior est, quam ordo in causis physicis, vt ostendit historia primorum parentum. Etsi enim hic ordo sancitus erat, vt primi parentes propter peccatum extinguerentur, tamen Deus placatus intercessione ac deprecatione filij poenam æternam eis remisit, & poenas in hac vita inenarrabili bonitate mitigauit. Ipsum vero Euangelium nullam admittit dispensationem, sed manet immota regula. Qui credit in filium, habet vitam æternam, Qui non credit in eum, iam iudicatus est.

Postre-

X X X.

Postremo recitat Aristoteles gradus delictorum pugnantium cum iusticia & iure. Alia inquit, delicta sunt voluntaria, alia inuoluntaria.

X X X I.

In doctrina, quam Iurisconsulti profitentur, tres gradus delictorum traduntur, dolo facta, culpa, item casu facta. Et culpæ gradus lata, leuis & leuissima.

X X X I I.

Dolus proprie nominatur delictum, ad quod concurrunt mens sciens quid sit agendum, & voluntas libera contra rectum iudicium faciens. Hic gradus plurimum habet turpitudinis, quia maior est contumacia voluntatis, quando mens videt quid agat.

X X X I I I.

Culpa lata est, cum quis crassa negligentia peccat, non tamen affectata, ut cum aliquis rebus suis saluis amittit depositam, quia hoc forte negligentius custodivit.

X X X I I I I.

Etiam autem disputatur, An lata culpa sit dolus: tamen recte dicitur, toto genere distare dolum

lum & culpam, id est, peccata ignorantia,
& omissionis non affectata, ut infinitum discrimen est inter lapsum Eue, & negligentiam
Mariæ amittentis filium, quem putabat esse in
comitatu amicorum. mssclab

XXXV.

Reliqui sunt gradus leuis culpa & leuissima,
quæ ignorantiam circumstantiarum aut negligentiam
maiorem continent, ut si quis non tribuat
nomen consulis Magistratui in alio oppido, cuius
ipse non est ciuis, ignorans eum esse consulem.

XXXVI.

Hæc sunt præcipua capita, quantum ego exi-
stimare possum, de quibus differit Aristoteles in
quinto Ethicorum, qui inter omnia Philosophica
scripta de virtutibus velut gemma insignis emi-
net. Utinam vero in scholis concionantem iusti-
ciam placide audiamus, eiq; iuste viuendo obtem-
peremus, cum hæc una sit non æμρο disciplina
& vera Philosophia, ut præclare & sapienter
à Platone in sexta epistola scriptum est.

PROBLEMA DIALECTICVM.

An prima figura syllogismorum ideo sit per-
fectissima, quia aliarum duarum figurarum syllo-
gismi ad hanc reduci possunt?

Phy-

PHYSICVM Methodo & An doctrina Galeni de contrarijs saporibus pugnet cum Aristotelis sententia, cum ille contrarios esse dicat acrem & acerbum, hic vero dulcem & amarum?

ETHICVM

An recte à Platone dictum sit, Philosophos esse iustos, quod in veri investigatione versentur, cum nihil in vitæ societatem conferre videantur?

FINIS.

~~AN DOCTRINA GALENI DE CONTRARIIS SAVORIBUS PUGNET CUM ARISTOTELIS SENTENTIA, CUM ILLE CONTRARIOS ESSE DICAT ACREM & ACERBUM, HIC VERO DULCEM & AMARUM?~~
 DI 10
 7 1763 . 11 . 9 . 70



Was ich über eine Dinge nimm
Lies gewisser Felder blühend
Darauf mit dem Geist
Mit feiner Lust ins Paradies
Lies ich besser also geistlich
Das auf einem Jahreszeiten steht
Der alten pflanzten Tausend

Unglück & fallen gefahren, mit geistlichen
23 II. Lotnung

Si quis sedit sedit, est si libet comoda
Illa sedit sedit, non ab illa sedit recedat.

